



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 63. Variæ S. Congregationum decisiones & decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. Ludovico XIV. Galliarum Regi denun-
A. C. 1710. tiavit, quod omnia a Parisiensi Parla-
 mento, aliisque Magistratibus laicis
 acta, necnon Regis decreta contra hunc
 Cardinalem S. Collegii Decanum edita
 prorsus irrita & nulla declaret, Re-
 vero ea omnia revocet, & ab aliis re-
 vocari curet: vicissim vero Pontifex
 paratum se exhibuit, ejusdem Cardi-
 nalis causam accurate expendere, at-
 que ex S. Canonum præscripto defini-
 re, & si quid ille deliquerit, Pontifi-
 cem justitiæ suoque muneri nunquam
 defuturum. Hanc in rem Cardinalis
 Destræi Episcopi Albanensis necnon
 Tussani, & Noailii Cardinalium, &
 Tellerii Regii Confessarii officia apud
 Regem pro Episcopalis, & Cardinali-
 tatis dignitatis incolumitate implorabat.
 Sub idem tempus Calvinistæ in oppi-
 do Porceti prope Aquisgranensem mu-
 nem ædificium in usum Scholæ pro sua
 secta construere moliebantur, quo con-
 sperto Pontifex die decima tertia De-
 cembris Joannem Guilielmum Electo-
 rem Palatinum impense rogabat, ut
 horum machinationi obsisteret.

§. LXIII.

*Varia S. Congregationum decisio-
 nes & decreta.*

Inta

Inter varias SS. Congregationum deci-
 siones magis memorandæ occurrunt, Sæc. XVIII.
A. C. 1710.
 quas hoc anno Sacra Congregatio Car-
 dinalium Concilii Tridentini Interpre- Bull. magn.
part. 2.
pag. 422.
Decis. Con-
greg. Rit.
Episc. &c.
 tum edidit, ac primo die prima Fe-
 bruarii omnibus Ordinariis pium Sa-
 crarum exercitationum usum vel ma-
 xime commendans, Clericis, Sacer-
 dotibus, aliisque Ecclesiasticis illas
 peragentibus ex Apostolica benignitate
 Indulgentias plenarias, aliasque gra-
 tias concessit, cunctisque Præsulibus
 injunxit, ut Canonicos &c. residere
 obstrictos, necnon Parochos aliosque
 curam animarum gerentes opportunis
 remediis & canonicis pœnis ad perso-
 nalem residentiam compellant: Insu-
 per omnibus Episcopis concursum ad
 Parochiales Ecclesias indicendi facul-
 tatem habentibus modum præscripsit,
 quem in examine seu ejusmodi con-
 cursu tenerent. Sacra etiam Inquisi-
 tionis Congregatio die vigesima quinta
 Septembris Excommunicationis latæ
 sententiæ pœnam vibravit in Regulares,
 aliosque tam Ecclesiasticos quam lai-
 cos, qui sub quovis obtentu audent im-
 primere, vel in lucem edere libros &
 scripta quæcunque, in quibus ex pro-
 fesso vel incidenter de Ritibus Sinen-
 sibus vel de controversiis desuper motis
 quomodolibet tractatur, sine expressa
 Pon-

Sæc. XVIII. Pontificis vel S. Congregationis licentia. Die autem decima septima ejusdem Mensis S. Congregatio Indulgentiis præposita decidit, Ecclesiarum Rectores non posse donare Reliquias propriarum Ecclesiarum, quia illæ veniunt nomine rerum pretiosarum, & quæ Canonici, quoties Episcopus functiones Pontificales peragere intendit, non possint abesse sine legitima causa, & tum subministranda sint Episcopo a Canonis & a Sacristia Cathedrali Paramenta Sacra, nec de illis sibi providere teneatur: quoties vero Vicarius Generalis in aliqua functione intervenit in Vicariali habitu, locum habet digniorem inter Sedes Canonicorum, nec tum dicatur occupare Stallum alienum, sed proprium ac suæ dignitati debitum, nisi obset consuetudo contraria: quoties denique Episcopus accedit ad Ecclesiam Missæ Conventuali adsiturus, omnes Canonici, & non tantum quatuor ex eis, teneantur eisdem obviam ire, & in reditu eum comitari usque ad januas Ecclesiæ, & Capitulum teneatur mittere duos Canonicos ad ipsius Palatium tam in accessu, quam in reditu.